euangelia multo ante predicta. Ezechiel
quoque uolumine probat in quo prima ui-
sio ita contexitur. Et in medio similitudo
quatuor animalium. et uultus eorum. facies
hominis et facies leonis et facies ui-
tuli et facies aquile. Prima hominis facies
matheum significat. qui quasi de homine exor-
sus est scribere. Liber generationis ihesu christi filii
dauid filii abraham. Secunda marcum. in
quo uox leonis in heremo rugientis au-
ditur. Vox clamantis in deserto parate
uiam domini. rectas facite semitas eius. Ter-
cia uituli. que euangelistam lucam a
zacharia sacerdote sumpsisse initium
prefigurat. Quarta iohannem euangelistam.
qui assumptus pennis aquile et ad altio-
ra festinans de uerbo dei disputat. Cetera
que secuntur in eundem sensum proficiunt.
crura eorum recta. et pennati pedes. et quocumque
spiritus ibat ibant et non reuertebantur. et dorsa
eorum plena oculis. et scintille ac lampa-
des in medio discurrentes. et rota in rotam.
et in singulis quatuor facies. Vnde et apo-
calypsis iohannis. post expositionem xx. qua-
tuor seniorum qui tenentes cytharas
et fialas adorant agnum dei: introdu-
cit fulgura atque tonitrua. et septem spiritus
discurrentes. et mare uitreum. et quatuor
animalia plena oculis dicens. Animal primum
simile leoni. et secundum simile uitulo. et tertium
simile homini. et quartum simile aquile uo-
lanti. Et post paululum. plena inquit
erant oculis: et requiem non habebant die
ac nocte dicentia. Sanctus. sanctus. sanctus. dominus deus
omnipotens: qui erat et qui est et qui uenturus est.
Quibus cunctis perspicue ostenditur. quatuor
debere tantum euangelia suscipi. et omnes apocri-
forum nenias mortuis magis hereticis
quam ecclesiasticis uiuis canendas. Item

Matheus alius prologus in ma-
ex iudea sicut in or- theum.
dine primus ponitur ita
euangelium in iudea primus
scripsit. cuius uocatio ad
deum ex publicanis actibus fuit: duo-
rum in generatione christi principia presumens.
unius cuius prima circumcisio in carne.
alterius cuius secundum cor electio fuit. Ex utrisque
enim patribus christus. Sicque quaternario
numero triformiter posito. principium a cre-
dendi fide in electionis tempore porrigens. et ex elec-
tione usque in transmigrationis diem dirigens.
atque a transmigrationis die usque in christum de-
finiens. decursam aduentus domini ostendit ge-
nerationem. ut et numero satisfaciens et tempori. et se quod
esset ostenderet. et dei in se opus monstrans etiam in
his quorum genus posuit. christi operantis
a principio testimonium non negaret. Quarum
omnium rerum tempus. ordo. numerus. dispositio. uel ratio
quod fidei necessarium est. deus christus est. qui factus est ex mu-
liere. factus sub lege. natus ex uirgine. passus
in carne. omnia in cruce fixit.
ut triumphans ea in semet
ipso. resurgens in corpore.
et patris nomen in patribus
filio. et filii nomen patri resti-
tuens in filiis. sine prin-
cipio. sine fine. ostendens
unum se esse cum patre quia
unus est. In quo euan-
gelio utile est desiderantibus
deum. sic prima uel media
uel perfecta cognoscere. ut et
uocationem apostoli. et opus eu-
angelii. et dilectionem dei
in carne nascentis. per
uniuersa legentes intellig-
ant: atque id in eo in quo
apprehensi sunt et appre-
hendere expetunt. recogno-
scant. Nobis enim hoc
in studio argumenti fuit.
et fidem facte rei tradere.
et operantis dei intelligen-
dam diligenter esse di-
spositionem querenti-
bus non tacere. Explicit
prologus. Incipit liber
generationis
ihesu christi.

LIBER
generati-
onis ihesu
christi filii dauid.
filii abra-
ham. A-
braham
genuit y-
saac. Ysa-
ac autem ge-

2011 Ministerio de Cultura